

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Libertas g cum uariis

Quid est libertas? Potestas uiuendi ut uelis. Quis igitur uiuit ut uult nisi qui recta sequitur? Soli hoc contingit sapienti ut nichil faciat inuitus, nichil dolens, nichil coactus. Quis neget omnes leues, omnes cupidos, omnes denique improbos esse seruos? An ille michi liber cui mulier imperat, cui leges imponit, prescribit, iubet, uetat quod uidetur? Qui nichil imperanti negare potest, nichil recusare audet? Poscit dandum est, uocat ueniendum, eicit abeundum, minatur extimescendum. Ego uero istum non modo seruuum, sed nequissimum seruuum, eciam si in amplissima familia natus sit, appellandum puto.

Seneca libro X. rethorice sue.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

igitur uiuit] seruiuit M; faciat] facia P; liber] est *add.* P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; qui] quod P V<sup>1</sup>; poscit] scilicet mulier *add. supra lin.* B C, scilicet mulier *add.* M P V<sup>1</sup>; abeundem] est *add.* B; Seneca libro X. rethorice sue] Cicero in paradoxa V<sup>2</sup> L<sup>1</sup>, Cicero in paradoxa penultimo L<sup>2</sup>